


143



132

nisi sacrificatum fuerit. Ad quod respondit imperator: numquam currat ille fluvius, si magicis artibus et fluxu sanguinis polluendae sunt undae paradisi. Post paululum vero altius, quam solebat, excurrit, clamantibus paganis in tetro quod velut senex deliraret Nilus. Et hoc facto multi ad Christum sunt conversi, videntes, nec Nilum nec Serapim esse (120 a) auctorem incrementi, sed Deum. Vnde ulna vel incrementi mensura, quae prius ad idolorum templa delata fuerat, iam ad Christi ecclesiam deferebatur, sicut habetur in Eccles. Histor. Libr. II. cap. 24. Et in Spec. Histor. libr. 18. c. 79.

Non autem solum Nilus terram foecundat, sed tam hominibus quam bestiis potum dulcem tribuit. Est enim aqua dulcissima totius mundi et sanissima et tempore suae inundationis replet cisternas et lacunas, de quibus homines bibunt, nec est alia aqua in Aegypto reperibilis; si autem profundius fossum fuerit et in terrae visceribus aqua reperta, salsa et insipida est, sicut in deserto. Cum ergo Aegyptum Nilus irrigaverit et fontes repleverit et in multis ministerium suum compleverit, Aegyptio mari per septem ingentia miscetur ostia, quorum primum, quod in Syriam versum est, Pelusium appellatur; secundum Tanaiticum; tertium Mendisium; quartum Captastion; quintum Seveniticum; sextum Valbitium; septimum et ultimum, quod est nostrum, per quod nos cum Nilo ad mare venimus, vocatur Canopon a Menelao gubernatore navis ibidem tumulato. Hoc ostium nominat Ptolomaeus Heraclioticum. Et ita habetur Nili decursus manifestus. Credunt enim multi, per tramites subterraneos multas de eo derivari aquas, etiam ad remotiores mundi partes. Unde in Delo, insula quadam Cycladum, quae sunt Graeciae, est fons quidam, dictus Molus, qui crescente Nilo crescit et decrescente decrescit, aquasque dulciores habet caeteris fontibus, sed claras, per terrae penetrationem colatas; nam Nilus turbidas aquas habet, quas Aegyptii potare volentes stare permittunt et clarificantur in hydriis, si autem ad statim cupiunt clarificatam habere aquam, imponunt hydriae lac amygdalorum modicum et statim cum lacte faeces fundum petunt. Ego vero saepe vehementi siti accensus lutulentam et turbidam bibi, nec aliquam molestiam sensi. Dicunt ergo, fontem praefatum per venam Nili in illum infusam transmitti, quod mirabile est, cum mare magnum intersecat. Sic etiam fons est in Capernaum

141

147

137

152

132

192

092

242

042

Ende

Anfang